



**Disputatio monetarum, in discussione contentionum crediti & solutionis, hoc tempore inter Mercatores & alios, illis qui in foro uersantur, ualde utilis.**

<https://hdl.handle.net/1874/454789>

5


DISPV TATIO  
**MONETA-**  
*RVM, IN DISCVSSL-*  
**ONE CONTENTIONVM**  
*crediti & solutionis, hoc tempore in-*  
*ter Mercatores & alios, illis*  
*qui in foro uersantur,*  
*ualde uti-*  
*lis.*

Per

HENRICVM HORN MANNVM.

Cum Gratia & Priuilegio Imperali.

15



65.

FRANC. Apud Hæredes Chri-  
stiani Egenolphi.



CLARISSI-  
MIS, ORNATISSIMIS,  
PRUDENTISSLIMIS QVE  
uiris, Dominis Consulibus atq; Senato-  
ribus Imperij liberæ ciuitatis Northusia, tota  
Germania celeberrimæ, Dominis ac  
amicis summa obseruantia colen  
dissimis suis, HENRICVS  
HORN MANNVS.

CVm superiori anno, lues pestifera,  
quam Deus ob ingratitudinem, per  
uersam mentem, stultitiam ac scelera ho-  
minum nobis immiserat, longè lateq; gravis-  
saretur, et Scholæ passim dissiparentur,  
ego, uiri Clarissimi, Ornatiissimi, Pruden-  
tissimiq; mutandi aëris caussa, me ad ami-  
cos & propinquos fortè contuli, ubi  
aër purior minimeq; infectus uideba-  
tur.

Etsi autem sat temporis loci q; hic stu-  
dijs erat, deerat tamen necessaria studio-  
rum supellex, libri scilicet, sine quibus  
omnia studia manca sunt. Solitus quippe  
eram in meo Musæo, tanquam in horto  
Alcinoi spaciari, et suauissimos flores pa-

## EPISTOLA.

sim decerpere, quorum dulci fragrantia  
et odorifera uirtute, non modò ego to-  
to corpore animoq; reficiebar, sed et dif-  
fundebatur uis illa in alios, qui odoris  
suauitate pariter mecum afficiebantur.  
Hic autem inter ueteres amicos, cùm uix  
unius atq; alterius libri mihi potestas da-  
retur, et simul quæstiode Monetis et So-  
lutionibus incideret, uarieq; ab illis qui  
aderant, in hoc casu disputaretur, breui-  
ter quid ego iudicarem, sententiam ex  
tempore, ut fit, dixi. Atq; cùm peteretur,  
ut in consiliū formam, quæ dicta erant, re-  
digerentur, dabatur tunc mihi occasio  
meditandi, & accuratius totū negotium  
ruminandi atq; pensandi. Itaq; cùm iusta  
petentibus non sit negandus assensus, l. 2.  
ff. de his qui sui uel alie. iur. sunt, morem  
gessi bonis uiris, amicè me compellantis  
bus: rogantibusq; nec me rei difficultas  
deterruit, maximè cum à libris meis, non  
triduum, sicut ille, qui se ob id ad propo-  
sitam quæstionem de iure respondere  
non posse causabatur, sed ad integrum fe-  
rè semestre abesse. Et cùm scriptū illud,  
quo meam sententiam explicauerā, ger-  
manicum esset, & deinde temporis non  
nihil supppereret, ab alienis laboribus ua-  
cuum

cuum, quod aut legendo, aut scribendo,  
(nec enim alijs studijs ducor, neq; uolu-  
ptatibus quibusuis, extra has, trahor) pri-  
uatum mihi transigendum erat: statui di-  
ctam quæstionem dudum germanicè à  
me tractatam, iam latinis includere quæ-  
stionibus, ut honesta & licita fuga mea,  
quæ mihi cum multis eo tempore erat  
communis, Tyronibus iuris, quorum  
me quidam comitati fuerant, aliquid sal-  
tem pareret, quod ingenia ipsorum acue-  
ret, et occasionem præberet similia col-  
ligendi, ac ingeniosè de his inter se con-  
trouertendi.

Veritas enim agitata, magis inclarescit.  
Et nihil est, adseuerante Imperatore, tam  
indubitatum, quod non solicitam aliquā  
dubitatem recipiat, maximè si dili-  
genter ac studiosè excutiatur. ¶ si uero in  
dignus. uers. proinde. Auten. de tabell.  
colla. 4. Et posset sæpe citata lex, Paulus.  
ff. de solutionibus, inter obscuras & diffi-  
ciles leges Iuris Civilis numerari: quales  
sunt. l. i. de offi. eius cui mand. est iurisd.  
l. mater. ff. de inoffi. testa. et l. tribus. ff. de  
usufruct. earum rerum. l. lecta. l. eius. ff. si  
cert. pet. l. frater à fratre. ff. de cond. inde  
bi. l. si filius hæres. l. Gallus. ff. de lib. &

EPISTOLA.

posth. l. recōiunct. ff. de leg. ; l. si prius. ff.  
de noui ope. nunc. l. à quo fundus. ff. de  
dam. infect. l. si is qui pro emprore. ff. de  
usucapi. l. qui Romæ. ff. de uerb. obliga. l.  
cum mota. C. de transact. l. placet. C. de  
peda. iudi. l. filium quem habentem. C. fa  
mili. hercisc. interest. l. unica. C. de sent.  
quæ pro eo quod interest. l. ubi pactum.  
C. de transact. quæ lex, teste Iasone,<sup>29</sup> in  
tellectus habet. Petrus Biliardus, cùm si  
bi proposita fuisset explicanda, sine com  
mentarijs. l. quinq; pedum. C. fini. re  
gund. quæ tantum quinq; uerba habet,  
perturbatus dixit, Nescio : sicut ibidem  
narrant glossa & Odofredus.

Et quia de legibus difficilioribus men  
tio per occasionem facta est, uenit hoc lo  
co in mentem, quòd Baldus compresse  
rit iactantiam Philippi Regiensis, magni  
Doctoris, proposital. pater Seuerianam.  
ff. de condit. et demonst. ut commemo  
rat & refert Castrēsis. Gloriabatur enim  
se ex tempore, non sumpto spacio ad in  
spiciendum antea Doctorum libros, su  
per quacunq; quæstione ultimarum uo  
luntatum sibi oblata, responsurum, cùm  
non posset unicam hanc legem explica  
re. Africanilegum obscuritas Prouerbio  
inter-

interpretum notata est, quo rem difficultem significantes, Africani legem dicebant. Barto. l. cum quis. in prin. Ias. l. quæ dotis. ff. solu. matrimo. Quales & quædā leges Sceuolæ sunt in Digestis Bart. Sed hæc de quibusdam legib. difficilioribus, obiter & ~~wægēgywæ~~ adieci, inter quas, si quis & citatam l. Paulus, ponat, non temere faciat. Spero autem nonnihil lucis alligatae legi, totiq; adeo Monetariæ huic tractationi accessisse per hanc nostram repetitionem, quam uobis Magnificis, optimis, atq; prudentissimis Dominis Consulib. & Senatoribus Imperialis Circuitatis Northusiæ, tota Germania celebratissimæ, recepta multorum seculorū consuetudine, dedicatam offerre libuit: & oro, propter studiorum literarumq; bonarum amorem, quo uos præ cæteris ardere, eoq; nomine à principibus etiam uiris extolli, laudib; usq; mirificè uehi accipio. Certè hoc uerum est & constat, Scholas, Ecclesiæ & Reipubl. seminaria, ita apud uos constitutas esse, ut apud omnes Imperij status facile laudem inueniant et amicos parent. Quomodo autem Republicæ deesse uiri prudentes & docti possunt, ubi tam solicita est cura iu-

EPISTOLA.

uentutis recte formandæ instituendæ quod?  
Hinc tot fœlicium ingeniorum mater est  
Northusia: quæ ut quamdiutissimè salua  
fœlixquod sit, Christum Dei filium, μεσίτην  
nοντηηρ, pro nobis miseris, dilecto pa-  
tri factum, oro. Et spero Magnificentij s-  
uestris huius opellæ meæ nuncupatio-  
nem non ingratam fore, quæ ne me spes  
fallat, etiam atque etiam uos rogo. Promit  
to me id maiore aliquando et tam cele-  
bri ciuitate digniore munere com-  
pensaturum esse. Bene ualete.

Ex Marchia Brandenbur-  
gica, ubi sum hospes

Anno 1565.



5

AD CLARISSIMVM, O-  
PTIMVM ATQVE PRVDEN-  
TISSIMVM VIRVM, D. ERASMVM  
Schmit, Consulem Imperialis Ciui-  
tatis Northusiae, Dño & ami-  
co obseruandissimo suo,  
Henricus Hornman  
nus, S. P. D.

Fertur uerè equidem, uir optime atq;  
Excellens pietate, amator artis  
Dicendi, sapientia uerende,  
Præclarè meritus quòd ipse semper  
Sis tu de studijs bonis pijsq;  
Hoc doctrina facit simulq; rerum  
Usus, quo reliquos relinquis omnes  
Post te longè. Adeoq; semper esse  
Verum constat, ait Poëta sicut,  
Quò quis doctior est, eò magis fert  
Doctos nempe, colitq; amore Musas.  
Quare te rogo, sis mihi benignus  
Promotor, studijs meisq; fautor.  
Notum nomen erit tuum inde semper,  
Ac laudes, honor & manebit omne in  
Aeuum quippe tuus, colende Consul.  
Longum tute Vale, atq; ama te amantem.

DISPVTAT  
TIO MONETARVM, IN  
DISCUSSIONE CONTENTI  
onum crediti & solutionis, hoc tem  
pore inter Mercatores et alios,  
illis qui in foro uersantur  
ualde utilis. Per HEN  
RICVM HORN  
MANNVM.

*Bonitas Monetæ quo  
tuplex est.*

Duplex. Intrinseca & extrinseca.

*Intrinseca quæ est?*

Quæ consistit in liga ponderis  
& characteris.

*Extrinseca?*

Quæ consistit in ualore & aesti  
matione, pro qua expenditur. I.i.  
& fin. C. de uet. nu. pote. lib. II.I.I.  
ff. de

MONETARVM

ff. de contrah. empt. DD. in c.  
quanto, ext. de iure iur.

*Pecunia mutuo accepta, in qua  
bonitate est reddenda:*

Hic nullum est dubium, quin  
sit reddenda & soluenda, in boni-  
tate intrinseca, si reperiri & habe-  
ri potest.

*Quid, si inueniri & habe-  
ri non queat?*

In illo casu, potest fieri solutio  
de noua moneta, quæ usitata & re  
cepta est, habita semper relatione  
et respectu, ad materiam, pondus,  
et aestimationem pecuniae mutua-  
tæ. c. cum olim. & c. cum Canonis-  
cis. ext. de censi.

*Quid autem respectu  
characteris?*

For.

## DISPV TATIO

Formæ & characteris consideratione, potest de alia pecunia solui, dummodo creditor non afficiatur damno.

Illustra hæc aliquo Exemplo, ut perspicaciora fiant.

Sic, Quidam mihi mutuo dedit taleros Saxonicos centum, tempore Friderici Electoris stampatos seu procusos. Possem illi reddere recentiores totidem, nisi creditor esset passurus aliquod damnū, in diversitate formæ & characteris, eò quòd statuisset iter facere ad oras maritimas, et partes lōginquas, in quib. Ioachimici antiquiores, plus ualoris habent, quàm recentiores. Hoc pacto debtor non posset aījs & recentiorib. taleris solutio, nem præstare, quia creditor damnum

# MONETARVM.

7

num esset passurus. Ita de similib:  
iudicandum est. I. Paulus. ff. de so-  
lu. ubi Bart. no. & omnes.

Quæro, an recipiens pecuniam quoti-  
dianam, debeat reddere secun-  
dum antiquam formam,  
an uero secundum  
nouam?

Si mutuo data fuerit pecunia bo-  
nitatis intrinsecæ, & deinde fiat pe-  
cunia in alia forma & materia, re-  
spondetur, quod tunc æquum sit,  
reddi et solui, de antiqua, eò quod  
noua pecunia sit omnino diuersa.  
Hoc tamen sic intelligi par est, si  
antiqua haberri potest. Si uero repe-  
riri amplius haud queat, iuxta æsti-  
mationem mutuo datæ pecuniæ  
solutio facienda est. Tunc enim  
hoc agitur, ut in ea dem bonitate  
eodemq;

## DISPVVTATIO

codemq; genere restituatur.l. cum  
quid. ff. si cert. petat. & gloss.

**Quid autem, si pecunia datur mutuo,  
non in bonitate intrinse-  
ca, sed extrinseca?**

Si datur in bonitate extrinseca, et  
uariatur aestimatio ualorq; ipsius,  
pro temporū conditione, ut fieri  
solet in Ducatis, coronatis, crucia-  
tis, & alijs monetis aureis, quæ ali-  
as plus, alias minus ualent, & iam  
aestimatio ipsarū omnibus est ea-  
dem, iam uero paucis aliquot elas-  
pis mensib. crescit ualor, aut decre-  
scit, tunc non solemus curare &  
considerare eam ipsam bonitatem  
extrinsecam, nisi eo tempore, quo  
cœpit esse in mora debitor, ne solu-  
tio iusto tempore fieret.l uintum.  
infr.eod. Hæc est decisio et doctri-

na

## MONETARVM.

8

na Bartoli hic, & in d. I. Paulus  
Consentiant & alij DD. in hac no-  
stra l. cum quid. Pet. & Cy. in l. mi-  
norum. C. in quib. caus. resti. in in-  
t̄eg. non est necess. Ioan. And. &  
DD. in d. c. quanto, & in c. cūm o-  
lim, & in c. cum canoniciis. ext. de-  
censi. Ioan. de Imo. et alij in d. I. Pau-  
lus.

Pono casum. Debitor qui pecunia mutuo accepit, tenetur reddere eā ad Pascha. Postea decrescit aestimatio eiusdem monetæ, quam mutuo sumpsit, quæro an debitor teneatur seu obligatus sit aliquid præstare, pro illa aestimationis imminutio, seu deterioratio, ut si clo-  
quar?

Iuxta doctrinam Bartoli sic di-  
stinx

## DISPV TATIO

Istingue. Aut de moneta grossa, aut de minuta dicimus. Si de grossa, quæ per monetam inferiorem recipere æstimationem potest, sermo sit, tunc debitori tenebitur sati facere creditori de mora, pro iusto dāno. Si uero loquimur de moneta minuta, inferioris gradus, debitor ne post moram quidem obligatur, seu tenetur ad æstimationē. Nam semper hoc casu, periculum creditoris erit. Ratio est. Quia minuta hæc moneta non recipit æstimationē per aliam monetā. Quare dici non potest, quod æstimationē variata, imminuta, uel deteriorata.

*Hoc iniquum uidetur.*

Non uidetur, nec est. Sed hic defectus præter spem opinionemq; denouo fortè incidens uel contingens,

gens, posset lucrum cessans dici.  
Verum huius lucri non habet  
ratio, quando minuta pecunia  
debetur. Damni autem ratio habe-  
tur, quod penes aestimationē con-  
sideratur. I. nummus. ff. de in litem  
iuran. Hæc est opinio Bartoli,  
quam sequitur Ange. in d.l. Pau-  
lus.

*Mirabilis sanè opinio Bartoli, quam  
non satis assequor.*

Ut rectius intelligas, sic habet  
Bartolus uult, ut in moneta minu-  
ta, lucrum potius cessans, quam  
damnum emergens censeatur: pro-  
pterea quod lucrum & interesse,  
extrinsecus non uenit in nummis,  
secundum damnum. I. si sterilis. &  
si per uendorrem. ff. de act. emp.  
d.l. nummus. & I. si ita fideiussorē.  
ff. de fideiussoribus.

## DISPV T A T I O

*Estne hæc Bartoli opinio recepta, et  
seruatur in practica?*

Communiter non est, nec serua  
tur aut tenetur in praxi usitata.

### *Quæcius reieſtratio:*

Nam sine differentia, & distinc-  
tione, in quacunq; moneta, peri-  
culum spectat ad eum, qui moram  
in soluendo fecit. Et hæc opinio  
uerior est & receptior. Quia mi-  
nutæ pecuniæ æquipollere uiden-  
tur. Sicut enim 12. denarij, unum  
solidum constituunt, ita unus soli  
dus 12. facit denarios. Hoc Marti-  
Laudē. in tractatu suo monetæ, re-  
fert, & cum eo Cy. & Docto. in d.  
I. minorum. C. in quib. cauſſ. rest.  
non est necel. Ioan. And. & Doct.  
in d. c. quāto, & Ang. in d. I. Paul.  
ff. de

ff. de solu. Idem tenet Imo. et dom.  
Anto. in d.c. quanto.

*Hæc certè intricata sunt, et ob  
scuriora, quām ut rectè  
intelligam.*

Quid ni intelligas? Debitor si-  
ue in lucro, siue in damno consi-  
stat, post moram ad interesse tene-  
tur. l. 3. in fi. de eo quod certo loco.  
Et quòd ueniat interesse in lucro,  
tenet gloss. Doct. communiter,  
post Bart. in l. 1. C. de senten. quæ  
pro eo quod interest. Ergo uenit  
hoc interesse extrinsecus, tam in  
minima pecunia, quām in grossa.  
Quia mora semper debet nocere il-  
li, qui moram facit l. quod te ff. de  
uerbo obli. c. mora cui. de reg. iur.  
in 6. Deinde etiam nō potest ratio

DISPV TATI O  
reddi diuersitatis inter monetam  
minutam & grossam.

Exemplis res illustrantur & declaran-  
tur magis q̄ conspicuæ fiunt.  
Dic ergo exempli  
gratia.

Faciam, attende. Mutuo tibi  
dedi centum florenos in pecunia  
minuta. Si iam interea antequam  
mihi centum illos reddas, accidat,  
ut principis sanctione, grossi ali-  
quot certi, qui prius pro uno ex-  
pendebantur, iam nunc pro uno  
cum dimidio edi incipient, & vul-  
go accipientur: certè hic post mo-  
ram tuam, aucta fuit æstimatio.  
Et propterea æquum est, ut debi-  
tor, penes quem mora deprehendi-  
tur, satisfaciat creditori. Debet e-  
nīm non immerito mora sua esse il-  
linociua.

Exer

# MONETARVM.

"

*Exemisti mihi scrupulum, Sed dic por-  
rò, quomodo Doctores opinio-  
nem Bartoli saluant?*

Imola & D. Anto. in d. c. quanto, uidentur saluare Bartolum, hac scilicet adiecta clausula & conditio, quando augetur æstimatio monetæ grossæ, ut, Mutuo recepi duodecim florenos, eo tempore, quo Ducatus ualebat unum florenum, cum dimidio. Si postea ualor Ducati ad duos florenos excrescat, is qui mutuum dedit, non poterit petere quicquam ultra sortē, etiam si duodecim illis florenis potuisse acquirere siue lucrari tempore mutui, quatuor uel quinq; aureos. Quia non patitur damnū, sed perdit lucrum. Hoc pacto Bartoli opinio interpretationem & limi,

B 3

DISPV TATIO  
tationem saluationemq; recipit.

Porro quæro. Quid si uariatio & di-  
minutio monetæ minutæ cōtingat post  
moram, quando creditor non potuit  
consequi à creditore id, in quo dam-  
num accipit, atq; sic damnū con-  
tingens sentit, & non lu-  
crum cessans.

Respondeo. Si creditor esset per  
sona, quæ uirisimiliter cōsueisset  
mercari & lucris studere, in hoc ca-  
su absq; dubio respectus ad inte-  
resse habendus esset, ratione lucri  
cessantis. l. 3 Parag. fi. in hanc arbi-  
triam. ff de eo quod cer. loco. et  
declarat Barto. in l. i. C de sen. que  
pro eo quod. et ibi in hoc tractant  
Anto. Imo. & Cuma. in d. l. Pau-  
lus.

Verum

*Verum quid, si non esset Mer-  
cator?*

Dato etiam hoc, quod creditor  
nec Mercator sit, nec mercari soli-  
tus, nihilominus debitor indifferē-  
ter tenetur ad æstimationem in  
quacunq; moneta, per argumenta  
et rationes suprà allegatas.

*Porrò in alio casu breuiter quæro. Est  
ne inspiciendum tempus contra-  
ctus, uel solutionis?*

Hoc scilicet uis. Pone casum.  
Mutuo tibi dedi centum duca-  
tos, eo tempore, quo ducatus Io-  
achimicum siue talerum unum,  
cum dimidio ualuit. Dein acci-  
dit tempore, quo solutio facien-  
da fuit, ut ualor Ducati augere-  
tur ad aliquot solidos : quæstio  
est, an debitor possit aut debeat  
solvere centum ducatos, habito re-

## DISPV TATIO

spectu ad æstimationem curren-  
tem tēpore ipsius mutui, uel ad æ-  
stimationem currentē solutionis,  
prout sibi esset utilius. Responde-  
tur, quōd inspiciendum sit tempus  
solutionis, et non contractus. Hæc  
est sententia Bart. in d. I. Paul. circa  
princip. ulti. colum. & in l. cùm au-  
rum. per text. ibi. ff. de auro & ar-  
gen. legato. Bald. quoq; in d. c. quā-  
to. & in Clemen. fin; cum ibi nota-  
tis, de deci. allegat Bald. in addi-  
ad Specu, in titu, de solu. §. nunc  
aliqua, uersi, fi.

*Variantne etiam hic Doctores,  
ut supra;*

Omnino. Nam contrariam sen-  
tentiam tenuit Alberi. per tex. d. l.  
cum quid. ff. si cert. peta. Idem tes-  
net Baldus in l. acceptam. C. de u-  
sur.

sur. ubi concluditur, quod considerari debeat tempus contractus, et non solutionis. Mouetur autem ad hanc decisionem, satis friuola (sit uenia dicto) ratione. Quia debitor, inquit, pecuniam intrinsecam conuertit in suos usus, & utilitatem suam, Ergo non debet lucrari cum aliena iactura. I. si uina quae in ol. erant. ff. de pericu. & commo. rei uendi. Sed per multa argumenta patet, & multo clarius est, quod attendatur tempus contractus. Sic tenet Iaco. Butriga. et alij. Nam pecunia est in contractu et obligatione. Et certum est, quid, quale & quantum datum fuit. Ideo tenetur reddere de moneta antiqua & usitata tempore contractus, uel illius aestimationis. Et hoc in omni dispositione. argumento

## DISPUTATIO

est l. si stipulationum, quod incertae sunt. ff. de uerb. obligatio. Ergo debitum esset in actione. l. certi conditio. in princi. & Parag. i. infra eod. Et pro hac parte adduci potest. l. fundum uendi. ff. de nouatio. & alijs textus.

*Meministine hanc quæstionem, tuo tempore, in contingentia facti aliquando fuisse?*

Omnino memini & scio, ante paucos annos in oris maritimarū Ciuitatum, hanc ipsam, de qua nūc loquimur, materiam, in quæstionem uenisse, hoc pacto: Opulentus quidam Mercator emerat maximam quantitatem salis, certo precio coronatorum aureorum. Accidit postea, ut æstimatio dicti aurii mutaretur & uariaretur. Fuit quæ-

quæsitum, quid juris esset? & consultum per plurimos doctores, cō siderandum fuisse & in memoriam reuocandū tempus cōtractus, et non solutionis.

*Laudēt hoc loco uidetur dubi  
tare, & cum alijs non  
sentire.*

Nec tamen omnino dissentit, sed putat sic distingui posse. Aut dies adiçitur solutioni, & tunc tempus solutionis considerandum est. Et hoc modo procedit doctrina Bar. in l. cum aurum. ff. de auro & ar gen. lega. & probatur in l. contra xisse. ff. de actio. & obligatio. Aut non est statuta dies solutio ni, & tunc inspiciendum uenit tempus petitionis, per casum, in

## DISPV TATIO

in d.l.uinum. Nisi tamen debitor  
fuisset in mora. Nam odio moræ  
inspicimus tempus contractus. De-  
bet enim mora semper esse nocua  
illi, qui moram fecit. d.l. quod te. et  
l.mora. ff. de usur. Et isto casu pro-  
cedit opinio Ia. But. Albe. & sequa-  
cium.

*Quid tua fert opinio in hac uariatio-  
ne sententiarum?*

Ego indistinctè sentio tempus  
contractus inspici oportere peni-  
tus in aestimatione extrinseca. Sic  
enim sensit Azo fons Iuris, ut utar  
uerbis Baldi, in l.contractus. C. de  
fide instrumen Hunc sequitur Ol-  
dra. Lauden in consilio 31. & alibi.  
Atq[ue] ideo in omni contractu, siue  
locationis, siue mutui, siue alterius  
conuentionis, attendimus tempus  
con-

contractus, etiam quantum ad bo-  
nitatem extrinsecam. Quare uaria-  
ta aestimatione, obligatus erit de-  
bitor ad illam aestimationem, quæ  
currebat seu in uado & usu erat  
tempore contractus, secundum  
iam dictos Docto. Azonem & Ol-  
dra. Cōsentit Panormi. post Imol.  
et D. Anto. in c. cum olim. ext. de-  
censib. Ioan. Andr. communiter  
Doct. in d. c. quanto. Pet. de Anch.  
post dom. cardi. & Imol. in Clemē-  
ti. fi. per textum ibi, in uerbo, con-  
suetam. de decimis.

*Multi sunt, quos nominasti in eandem  
tecum descendentes sententiam,  
cui et ego nunc adstipulor  
et subscribo.*

Addam & hoc, quod Pet. de An-  
cha. in allegata Clemen. fin. dixit,  
Do.

## DISPV TATIO

Doctorem suum fuisse consultum aliquando in casu dotis, ubi quis dederat in dotem florenos ducen-  
tos, boni auri, tempore quo flore-  
nus in minori erat aestimatione et  
ualore, scilicet, (ut ad Saxoniam  
monetam casum applicem) quo ua-  
lebat duas marcas Lubecenses. Po-  
stea excreuit & auctus fuit ualor  
florenorum aureorum, supra du-  
as marcas, adduos solidos: quæsi-  
tum fuit, quomodo dos restituен-  
da esset. Respondit & consuluit,  
ducentos florenos auri, qui fuerat  
in obligatione, restituendos esse.  
Nisi forte tempore contractus fu-  
issent dati in dotem, ad rationem  
marcarum, & non florenorum sim-  
pliciter. Nam tunc illa aestimatio  
deberet redi, & non maior.

In legat

## MONETARVM.

16

*In legatis pecuniarijs, testamento ordi  
natis, quod tempus attendendum  
est, uariata æstimatione?*

Num tempus testamenti, uel mor-  
tis, uel aditæ hæreditatis attende-  
re oporteat, quæris. Prima fron-  
te, tempus mortis considerandum  
esse uidetur. Parag. disponat, in au-  
then. de nuptijs. Et lex semper est  
in uiridi obseruantia, l. Arriani. C.  
de Hære. Ergo uidetur legasse eo  
tempore, quo moriebatur. Proba-  
tur per Doct. Bart. Bald. Ang. in l.  
si seruus legatus. Parag. qui quinq;  
ff. de leg. l. Bart. in l. fin. Parag. l. ff.  
de libe. legato, et l. fi. Parag. l. ff. de  
fun. instru. instrumentoq; legato.  
Vbi dicit, si maritus legauerit uxo-  
ri frumentum in horreo uel domo  
sua, & deinde idem testator fru-  
mentū illud cōsumpserit, atq; illud  
postea

## DISPV TATIO

postea in locum refuderit, quod  
uxor habebit frumentum, tempo-  
re mortis in horreo repertum.

*Probas ne hanc Decisionem:*

Hæc doctrina non procedit ex  
natura uerborum, sed ex præsum-  
pta & interpretatiua uoluntate te-  
statoris, secundum Bald. & Angel.  
in d Parag. qui quincq. Quare nihil  
ad rem facit.

*Quid autem tu iudicas in hoc casu si-  
ri de iure oportere?*

In hac quæstione, Oldra. ind.  
consilio decidit, debere solui de-  
moneta usitata, currente, expendi-  
bili & recepta tempore testamen-  
ti. per text. in l. uxori. Parag. testa-  
mento. ff. de lega. 3. l. Medico. ff. de  
auro & argen, legato. l. Aurelius.  
Parag.

# MONETARVM.

17

Parag. testamenti. et Parag. Titij. ff.  
de libe. lega. & ita sequitur Bald.  
Alberi. & Moder. hic.

*In hac ergo opinione acquiescis?*

Quid nix? Sed hoc sæpe sum mi-  
ratus, quod tanti doctores non al-  
legauerint glossam singularem, ap-  
probatam & perpetua memoria  
dignam, in l. penul. ff. de fun. in-  
stru. quæ decidit, quod in lega-  
tis particularibus, siue rerum, siue  
pecuniarum, semper attendimus  
tempus testameti. Sed in fideicom-  
missis uniuersalib. & legatis, atten-  
dimus tempus mortis testatoris.

*Aliam quæstionem moueo. Quid in le-  
gib. & statutis facientib. mentionem  
de pecunia, seu pœnam pecuniariam im-  
ponentib. quod tempus in aestima-  
tione pecuniae atten-  
ditur?*

C

## DISPV TAT I O

Diceret aliquis primo casus in  
tuitu, obseruandū esse tempus sta-  
tuti & legis, sicut tempus testamen-  
ti, ex doctrina aurea, quod statu-  
ta magis æquiparantur ultimis uo-  
luntatibus, quam contractibus. L-  
tasentit Nico. de Matarellis, quem  
sequitur Bald. in l. penulti. in fi. pe-  
nul. colum. uers. quæro quid in uer-  
bis legis uel statuti. C. de uerb.  
signi. Idem Bald. in pace constan-  
tiæ. in uer. nos Romanorum. Bar.  
in l. omnium. C. de testa. & in l.  
post gloss. ibi. C. de his quib. ut in  
dig. latius uidere licet per Alex. in  
l. si ita stipulatus. ff. de uerb. ob-  
lig.

Non subscribis huic sententiæ.  
et tot Doctorum o-  
pinioni:

Sj

## MONETARVM.

18

Si quis rectè considerare & æqua lance perpendere rem uelit, puto non absurdum, aut ueritati contrariū fore, si quis distinguat, et sic dicat: Statutum aut loquitur de solennitate, aut de solutione. Si circa solennitatem uersatur, scilicet, statutum dicit, quod donatio excedens quingentos aureos, debeat insinuari, sicut & de iure communis sancitum est, in isto casu attenditur tempus legis uel statuti. Si uero statutum disponit circa solutionem pecuniae, quomodo illa fieri debeat: isto casu inspicitur tempus, quo solutio facienda est, ex quo oritur obligatio. Ita decidunt Specu. & Ioan. And. in addi. in tit. de solu. Parag. nunc aliqua. uers. fin. clarius Bald. in l. illud, circa fin.

C 2

## DISPV TAT I O

C. de sacro sanct. Eccles. & in l. 2.  
C. communia de le. Imo, in clemen-  
fin, de decimis, & sequitur Laud.  
et communiter Moderni.

*Quid in laudo & sentētia, facientib.  
mentionem de pecunia  
soluenda;*

Breuiter respondendo, attendē-  
dum est tempus laudi uel sentētiæ.  
Old. in consi. 12. & consi. 168.

*Accidit, quòd quidam expendit mon-  
tam, quam scivit à principe reproba-  
tam & prohibitam fuisse, quæri-  
tur an teneatur ille poena  
falsi:*

Hic omnes dicerent, si ex tem-  
pore respondendum esset, quòd i-  
ta. per text. in l. Cornelii. ff. de fals.  
Sed ueritas contradicit. Quia pœ-  
na falsi,

na falsi, quod ad hanc rem attinet,  
non imponitur nisi in trib. casib.  
Primò, quando corrumpitur et fal-  
sificatur ( ut ita dicam ) moneta in  
pondere. Secundò, in materia. Ter-  
tiò, quando euditur moneta , sine  
principis autoritate. Sic respon-  
dit & consuluit Bald. in contingen-  
tia facti. Ita Saly. in l. 1. & l. fin. C.  
de falso mone, & bene probatur in  
d.l. Cornelia. Et pro stabiliēda op-  
nione Baldi facit, quòd poena, ubi  
in statutis, uel à iure non apposita  
inuenitur , est arbitraria . l. 1. §. 1.  
ff. de effract. & expila. l. 1. ff. de iure  
delib. C. de cau. ext. de offi. deleg.

*Quid respondebis in casu, quo aliquis  
tibi mutuo dedit pecuniam reproba-  
tam aut prohibitam. Tu uero industria  
tua, pro bona eam expendisti. Quæri-  
tur, an creditore ad solutionem  
cogere possit?* C 3

## DISPVTATIO

Communis opinio est, quod non. Quia industria excedentis, non prodest ipsi mutuanti. Sic sentiūt Iaco. de Are. & Alberi. per tex. in l. 2. ff. ad l. fal. iuncta l. elegāter. Parag. qui reprobos. ff. de pigno. act.

Iterum quæro, an una Materia aurea siue argentea, pro alia, uel aurea pro argentea, et è contrâ, solui possit:

Breuiter dicendo, hoc de iure est expeditum & liquet, quod una moneta pro alia possit in solutionem dari, dummodo recipiat functionem in genere suo. Ita Bart. & Angel. in d.l. Paulus. Bald. in l. 2. Parag. 1. ff. si cert. petatur.

*Adfer aliquid in exemplum.*

*Exem-*

Exempli gratia. Ego tibi ad tem-  
pus mutuo concessi grossos ali-  
quot marcarū Lubecensium, quos  
ipſi marckſtück appellant, Tu mi-  
hi uis reddere eiusdem ligæ gros-  
sos marcarū Hamburgensium uel  
Lunæburgensium, certè poteris.  
Nam eadem materia est, & pon-  
dus idem, recipientia functionem  
in genere suo. l.i. Parag. fin & l Ti-  
tia. ff. de auro & argen. lega.

*Quid si non reciperent in uicem  
functionem?*

Tunc aliter iudicandum esset.  
Nam ego tibi mutuo dedi grossos  
argenteos, quos Schreckenbergis-  
cos uulgo uocant, tu mihi uis red-  
dere monetam alterius ligæ æreæ  
cōtaminatam, certè nō poteris, nec  
creditor cogitur accipere, quia di-

## DISPV TATIO

citur pati damnum & diminutio-  
nem patrimonij. d.l. Paulus. Atta-  
men de consuetudine totius mun-  
di seruatur, quod diuersa pecunia  
informa, & aurea pro argentea,  
& argentea pro aurea solui possit,  
quia ex generali consuetudine dici-  
tur recipere functionem. ita gloss.  
in l. si quis argentum. C. de dona.  
Barto. & Doct. in d.l. Paulus. Bal.  
in d.l. 2. Melius Barto. in l. libera.  
C. de senten. & interlo. Quod ue-  
rum intelligitur, nisi creditor pa-  
surus esset aliquod damnum. d.l.  
Paulus. Puta, Si quispiam mutuum  
dedisset alicui aurum, & ipse cre-  
ditor in longinquas partes iter es-  
set facturus, non cogeretur argen-  
tum recipere, quia graue est & in-  
commodū portatu, aut etiam for-  
tè in illis partib. ad quas creditor  
iter

Iter parat, incognitum . Vel, si de-  
disset Ducatos, aut Vngaricos au-  
reos, monetam notam & usitatā il-  
lis locis, quō profecturus est , quis  
coget creditorem, ut in alia formā  
aurum receptet , fortè incognitū  
et non receptū apud illos, ad quos  
properat . Iacturam enim faceret  
et damnum pateretur . d.l. Paulus.  
et Lauden . in tractatu suo de hac  
eadem materia .

Porrò . Maritus quidam confitetur in  
Instrumento dotis , se recepisse flo-  
renos centumboni auri et iusti pon-  
deris , quæro quomodo sint  
intelligenda illa  
uerba ?

Doctores uolunt, quod intelli-  
gatur de florenis ad computum so-  
lidorum triginta duorum pro flo-

## DISPUTATIO

reno. l. nummis. ff. de lega. 3. nisi  
adīciantur in instrumēto hæc uer-  
ba, & in auro, ut sic substantia si-  
gnificetur, & ipsa duplicata uerba  
plus operentur. l. balista. ff. ad Tre-  
bellia. cum suis concordantijs. Si-  
ne dubio, illa uerba boni auri intel-  
liguntur de aureis, et non de flore-  
nis argenteis in moneta solidi-  
rum triginta duorum, et eo plus,  
si essent illa uerba in quæstione  
apposita, boni auri & iusti pon-  
deris. & per hoc est text. in l. i. ibi.  
Iusti ponderis sint. C. de uete. nu-  
pote. lib. ii. c. quanto. cum glo. &  
de iure iurand. & ita sequitur Lau-  
den. hic. In hoc casu consulue-  
rūt Doctores ferè omnes, quòd u-  
bi in instrumento apponuntur illa  
uerba, boni auri, rectæ ligæ, & iu-  
sti

sti ponderis, quòd talia uerba mul-  
tum importent, ita quòd non pos-  
set creditor cogi recipere monetā  
pro auro, per ea quæ notant Bart.  
Bald. & Angel. in l. lecta. & in d. l.  
Paulus. ff. de solu.

*Quid ad hunc casum dices. Deposuit  
seu mutuo erogaui centum libras in flo-  
rensis, quid haec uerba importabunt, ei  
quod tempus attendere oportet,  
contractus ne, an solu-  
tionis?*

Omissis contrarietatib. & diuer-  
sitatib. Bartoli & aliorum, bre-  
uiter & succinctè respondeo,  
ex Decisione ipsiusmet Bartoli,  
communiter approbata & rece-  
pta in d. l. si quis stipulatus decem

in

## DISPV TATIO

in mille. ff. de solutio. ubi definit et  
concludit, quod si promittam cen-  
tum libras in florenis, quod flore-  
ni erunt in obligatione. Si itaq; in  
obligatione, ergo non inspicitur  
tempus solutionis, sed obligatio-  
nis. I. ubi autem. Parag. qui sortem.  
ff. de uerb. oblig. Bartoli tamen et  
aliorū contrarietates, saluari pos-  
sent, ne uiderentur sibi contrarij,  
sed diuersi, id est, loquentes in di-  
uersis casibus, scilicet, quod in d. I.  
si quis stipulatus decē in mille, quæ  
ratur & decidatur, an floreni dis-  
cantur in obligatione, uel in facul-  
tate soluendi. Sed in d. I. Paulus,  
quæratur, an consideretur æstima-  
tio tempore cōtractus, uel solutio-  
nis. Et hæc diuersitas colligitur ex  
uerbis Laudē. Hoc respondere uo-  
lui, et si difficultis est solutio.

Ple<sup>s</sup>

Plerunq; in Ciuitatib . diuersæ sunt  
pecuniarum libræ, seu ipsæ etiam diuer-  
sæ pecuniæ, cuius ergo erit ele-  
ctio, debitoris an credi-  
toris?

Angelus in l. fin. C. de uete. nu.  
pote.lib. ii. decidit, electionem esse  
debitoris, de qua pecunia soluere  
uelit, nisi fortè contingere, credi-  
torem pati damnum, et conditio-  
nem ipsius fieri deteriorem. argu.  
d. I. Paulus. ff. de solutioni. Barto.  
dicit, quòd in hoc casu debeamus  
considerare consuetudinem , &  
quid uerisimilius uideatur. l. num-  
mis. ff. de legatis tertio. gloss. or-  
dina. & Docto. in l. semper in sti-  
pulationib. ff. de regu. iur. Et sic  
communiter Docto iudicant.

Ad.

## DISPV TATIO

*Adbuc unum. Instrumentum locatio-  
nis habet, conductorem obligatum esse  
quolibet anno ad soluendos centum flo-  
renos. Hic conductor seu Emphitheo-  
ta, per decem, quindecim, siue viginti  
annos, soluit singulis annis ad compus-  
tum solidorum quadraginta pro quolibet  
floreno. Deinde successu temporis  
idem ipse uult soluere florenos ad com-  
putum solidorum triginta duorum pro  
floreno, & dominus petit flo-  
renos aureos. Quid  
iuris est?*

Respondetur: ubiunc<sup>z</sup> dubius  
um est, de qua pecunia senserint  
contrahentes, & nihil dixerint,  
quod ista dubitatio tollitur, & de-  
claratur per solutiones longo tem-  
pore præcedentes. Lauden. & An-  
ge. n.l. si certis annis C. de pact. ar-  
gu.

gu.l.cum de in rem uerso. C. de us  
tu. Quia talis præsumitur in du-  
bio pecunia in obligatione fuisse,  
qualis solutio secuta est. d.l. cum  
de in rem uerso. Feli. in c. cùm Ber-  
toldus, ext. de re iudica. & de diu-  
turna præstatione. & de intellectu.


d. l,cum de in rem uerso. I-

dem Feli. in c.causam.

ext.de præ.

script.


*FINIS.*




OCN 31993535

1819.3.23 MURRAY AT BOSTON

3182





quod est in monachis; sicut enim  
est in aliis quibus communione  
venerata est de die in die.

in monachis: acquisitum a monachis  
utrumque est in die et in nocte.

monachis ratione arbitrii suorum  
aut non. **S**i autem ratione **D**icitur  
ad monachos utrumque ratione in toto  
monachus: et per hanc rationem emulxerat

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

monachus: et per hanc rationem emulxerat  
autem ratione arbitrii suorum utrumque in

4357-6,

